

**De dysmenorrhoea : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Carolus Schwieger.**

**Contributors**

Schwieger, Karl.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1844.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/be75ev7m>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

14  
D E  
**DISYSMENORRHOEA.**

---

**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
RATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILELMA  
UT SUMMI  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. M. APRILIS A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**CAROLUS SCHWIEGER**

POSTAMPIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. TRANSFELDT, med. et chir. Dr.

A. MARGGRAFF, med. et chir. Dd

G. WENTZ, theol. Cand.

---

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.



STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD

STANDARD



**V I R O**

**CLARISSIMO, DOCTISSIMO,  
EXPERIENTISSIMO**

**FR. GUIL. ALB. PUHLMANN,**

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN LEGIONE BO-  
RUSSICA MEDICO PRIMARIO,**

**FAUTORI SUO BENEVOLO**

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO



**D**ysmenorrhoea id menstruationis vitium nominamus, bi in menstruatione ipsa dolores adsunt graviores. Huc utem hi casus referri non possunt, quibus dolores quidem obvii sunt, nec tamen solitum menstruationis molestarum gradum transgrediuntur, nam alias menstruatio ere quaelibet pro dolorifica (dysmenorrhoea) haberi possit.

Dolores non solum variis vitae periodis adparent, sed etiam aut longius aut brevius, menstruatione una eademque, perdurant, cui quidem et phaenomena aliqua ex parte sese accommodant atque permutantur.

I. Dolores in menstruatione secundum vitae periodum.

Dolores et molestiae aliae ostenduntur:

a) aut in periodo, qua functio menstruationis evolvitur, nec nisi vel primo vel secundo ejus adventu concitantur, vel etiam semestri longius perseverantes evanescent;



b) aut primo menstruationis initio adsunt, ac nisi arti medicanti forsitan contigerit, ut causas eorum removeret, tam diu perstant, donec periodo superveniente decrepitudinis, functio menstruationis omnino exstinguitur;

c) aut individua, menstruatione incipiente plurimos annos ab omni menstruationis molestia erant libera, et postea demum, causis variis intercedentibus, status quidam morborum evolvebantur, qui causa menstruationis dolorificae existunt;

d) aut dolores non semper, sed modo passim sentiuntur et causis minutis per menstruationem vim exercentibus procreantur, sicuti fere fit in constitutionibus teneris et sensibilibus, quae et levioribus momentis valde affici solent.

## II. Dolores in ipsis menstruationis stadiis orientes

a) Aut dolores in stadio prodromorum oriuntur, atque evanescent, ubi fluxus sanguinis incipit (quod stadium durat tum longius tum brevius, per aliquot horas aut per dies octo vel quatuordecim, priusquam fluxus sanguinis incipit, quae quidem fieri solent in menstruationis adventu primo);

b) aut dolores adsunt, menstruatione ipsa autem non adparente, sensim evanescent;

c) aut dolores inter fluxum sanguinis non remittunt sed perdurant, ita ut, menstruatione perfecta, non jam adsint;

d) aut etiam post menstruationem finitam per aliquod temporis spatium exstant et sensim mitigantur. —



## SYMPTOMATOLOGIA.

Diversa sunt symptomata secundum constitutiones. Ubi est aegrotata robusta vel plethorica, symptomata pertinent ad systema vasorum; ubi est tenera, gracilis, imbecillis, cujus systema nervorum laborat sensibilitate morbosa, symptomata ibi etiam graviora adsunt. — Partim molestiae aut in genitalibus ipsis, aut in partibus prope sitis sentiuntur, partim in organismo cetero, cum maximus sit consensus inter organa genitalia et abdominis, cerebri, pectoris cavum. Aliquot ante diebus quam menstruatio emanare incipit, doloribus capitis, hemicrania clavoque hoc malum apud nonnullas indicatur, quod praesertim in feminis hystericis accidere solet. Menstruatione propius instante, quae systematis uterini pariumque vicinarum sunt, potissimum phaenomena in conspectum veniunt, ac mox organismus totus compatitur.

Dolores vehementes exoriuntur in regione dorsali et sacrali, qui subito per pelvim vagantur aut usque ad extremitates inferiores descendunt; apud nonnullas vel dolor vel spasmus genitalium externorum subveniunt, ex hoc loco ad uterum usque assurgentes. Item colica menstrualis una cum doloribus trahentibus, tendentibus et constringentibus in abdomine, iique praecipue in regione uteri aut ovariorum, cum sensu quodam urgente conjuncti ad genitalia. Abdomen eodem tempore tum durius et amplius, tum spasmodice contractum. Uterus non minus, si attigeris, crebro tumidus et dolens; status etiam adeo



febrilis oboritur cum affectionibus inflammatoriis consociatus. Per consensum molestiae spasmodicae gignuntur maxime dolorosae in vesica, sicuti stranguria, ischuria doloresque usque ad renes. Vētriculo simul correpto (quod saepissime evenit), cardialgia exoritur ad gradum multimoda, simul cum vomitu spasmodico, immo etiam cruento; organon vicinum, scilicet hepar mox una laborat, ex quo molestiae spasmodicae in hypochondriis, aut secretio fellis adaucta cum incommodis eam comitantibus procreantur. Cerebro praecipue affecto, dolores capitis vehementissimi, hemicrania, clavus hystericus et congestiones ad caput aegrotam excruciant, interdum et amblyopia, dysoecia affectionesque apoplecticae et asphycticae sequuntur. Si organa pectoris laborant, exoriuntur in iis contractiones spasmodicae, dyspnoea, angor vehemens, inquietudo, spasmique sequelae, videlicet turbationes in sanguinis circuitu, saepenumero mammae intumescunt, fiunt sensibiles et dolorificae atque nonnumquam humorem serosum emittunt. Praeterea dolores vehementissimos in cervice adparere invenimus, in longitudinem totius dorsi deorsum patentes, et convulsiones universales phaenomena morbosa ad affectiones adeo vere hystericas et epilepticas augescunt. De cujusmodi affectionibus Tissot ait: »paroissent mettre les malades aux portes de la mort.«

Incommoda, quae cum genitalium et organismi ceteri detrimento menstruationem dolorificam sequuntur pro statu, quo morbus nititur, diverso existunt diversae



Dolores soli et per se debilitant organismum totum tur-  
bantque systema nervorum, ex quo morborum formae  
variae originem capere possunt; quin immo apud indivi-  
dua ad hysteriam propensiora dysmenorrhoea per se  
etiam elicitur.

---

### AETIOLOGIA.

---

Morbi causa una eademque esse omnino nequit,  
hoc autem pro certo habendum, nervorum systema  
maxime in dysmenorrhoeam influere. Attamen non om-  
nia morbi phaenomena e systemate hoc affecto enucleare  
possumus, nobisque satis erit, causas quae inprimis hunc  
morbum efficiant, proponere, inter quas numero:

I. Reproductionem laesam aut alios morbos aut  
vivendi rationem insequentem.

1) Quod attinet ad reproductionem laesam alios  
morbos sequentem, inter omnes constat, morbum quendam,  
ut exemplum proferam febrem, cum corpus pathologice af-  
ficiat, functionem physiologice ortam, uti menstruationem,  
deminuere aut sublevare. Intelligendum quoque est, cor-  
pus morbis chronicis et acutis ita affici posse, ut evolutio  
menstruationis impedita sit. Haec, quae nominavi, men-  
struationem retardare quidem possunt, sed morbi cujusdam  
formam non semper efficiunt, organismo, cum reproductio  
individualis imperfecta sit, nihil ad genus propagandum  
procreante. Ubi autem individuum jam ita perfecte for-



matum est, ut validum ac robustum sit, nutritio ejus bene valeat, organa autem sexualia, praecipue uterus, imperfecta maneant, quod fieri solet scrophulosi, physconiiis organorum abdominis febris intermittente ortis, ulceribus, exanthematibus aliisque; molimina menstruationis in lucem proferuntur, quo efficitur, ut mens abalienetur, idiosyncrasiae, spasmi, epilepsia, chorea St. Viti, congestiones ad alia corporis organa, haemorrhagiae, fluxus mucosi oriantur. Sed in systema vegetativum quoque vis exseritur, indigestio quidem, obstructions, diarrhoeae subveniunt, sanguificatio fit imperfecta, unde chlorosis formatur, systemate lymphatico succumbente, hydropis phaenomena accedunt.

2) Quod attinet ad reproductionem vivendi rationem sequentem, iidem morbi, quos jam antea nominavi, eas individua occupant, quae eo, quod semper sedent, curis ac moerore afficiuntur, nutrimentis malis iisque corruptis fruuntur, sanguinis circulationem in abdomine malam reddunt. Organis autem sexualibus jam antea libidinis debilitatis, ita ut menstruatio atque facultas gignendi sublata sit, nervorum systema afficitur.

II. Corporis habitum virilem; ubi tota fere corporis formatio est perversa, organis sexualibus integris. Corpus virginum, quae nominantur viragines, magnitudine ess insigni, thorax largior atque altior, ductus oris graviores cernuntur, pilorum formatio in labio superiori adest, ossa totius corporis crassiora et magis ampla, abdominis formatio est complanata, pelvis arctior. Quo fit, ut menstruatio



erius accedat, eique maximae molestiae atque molimina  
int superanda.

III. Plethorum universalem. Manifestatur haec  
praeterquam signis, quae in summa designant plethoricum  
tatum, etiam symptomatibus, quae sequuntur: priusquam  
anguis menstruus effluit, sanguinis ad genitalia et par-  
tes vicinas copiosissime profusi vehementi impetu dolo-  
res in regione sacrali et extremitatum gravitas oboriuntur.  
Aegrotata in genitalibus percipit sensum quendam caloris  
inducti, item nisus, tensionis et punctionis. Regio hypo-  
gastrica tumida, calida, ac manibus attrectantibus uterus  
perspicue attingendus, qui sanguine in vasis ejus conge-  
to, aequae sese exhibet tumidum. Vagina et pudenda  
urgescunt et fiunt calida; saepissime et stranguria ad-  
eoque ischuria adest. Mammæ intumescunt, quibus phae-  
nomenis accedit status febrilis cum pulsu accelerato,  
pleno et duro. Aegrotæ vertigine, apoplexia, asphyxia  
laborant. Efficitur hic status, ubi systema arteriosum  
valde venosum in utero superat, activitas productiva  
massaque sanguinis amplificatur, denique congestiones ad  
uterum commoventur.

IV. Statum inflammatorium. Plethora enim etiam  
absente, menstruationem dolorificam crebro in statu in-  
flammatorio nisam esse animadvertimus. Inflammationis  
gradus aequae diversi sunt ac phaenomena. In inflam-  
matione gradus altioris menstruatio prorsus suppressa,  
nec ulla locum habet dysmenorrhoea. Contra ea men-  
struatio in lucem prodit phaenomenis simul cum vehe-



mentissimis, ubi inflammatio incipiens et irritatio vasorum affuerit. Hic vero status, quoniam spasmodicus cum inflammatorio conjungitur, promiscuus est. Affectibus variis dysmenorrhoeam ibi videmus praeditam, ubi metritis vera, sed decursu chronica interest, dysmenorrhoeaeque originem praebet. Quod spectat ad metritidem chronicam, extra menstruationem manifestatur affectionibus notis et vulgatis. Qua imminente symptomata metritidis omnia majorem in modum augescunt, aliaeque accedunt. Mox, sicuti Richter profitetur, subveniunt mensium anomaliae; fiunt irregulares, dolorificae consociantur cum affectionibus plurimis spasmodicis, aequo copiosius effunduntur, sanguisque emissus, aliqua ex parte saltem nigricans frustulisque intermixtus; menses denique evadunt lividi malumque solito fluor albus comitatur. Ambarum specierum summum discrimen in ea cernitur, quod in metritide chronica dolores, quamvis minores, perpetuo tamen permanent, ac tempore tantum menstruo deprehenduntur majores, dum in prima specie interdum jam abeunt, simulac menstruatio sese ostenderit. Metritis chronica per menstruationem conjungitur cum affectionibus spasmodicis, quae quidem phaenomena existunt magis consensualia in organis cum vicinis tum remotioribus. Fluxus sanguinis in metritide chronica saepenumero degeneratur in nimium, fluxumque sanguineum sequitur fluor albus; dum in altera menstruat vel parca vel suppressa in conspectum venit. Intumescencia uteri, metritidi chronicae propria, nunquam i



astigium attingit in altera. Causae statum inflammatorium producentes maxime multiplices. Inter momenta, quae morbi opportunitatem habent, haud omittendae sunt hoc loco periodi diversae, quarum prae ceteris periodus functionis sexualis sese evolventis. Sicuti in periodo sic dicta dentitionis status inflammatorius in capite condat, ita nonnunquam accidere solet in periodo functionis evolvendae sexualis, nisi forte in purgatione intercedente menstrua exstinguatur. Periodus quaeque menstruationis per se aequae atque aetas, qua menstruatio manare desitura est, statum quemcunque inflammatorium eoque menstruationem dolorificam adjuvat. Ad quam proclivior est constitutio sana, valida et robusta, quam ob causam frequentior reperitur apud feminas rusticas quam urbanas; item individua sensibilia, irritabilia, sanguine abundantia, coëundi libidine ardentiore praedita.

Causae occasionales omnia fiunt, quae vim irritantem in organismum totum exserant atque praesertim in genitalia, eaque ad activitatem adauctam compellant.

V. Spasnum. Spasmus plerumque sensibilitate adaucta cum totius organismi tum in genitalibus localitatur fundamento. Quo ex utroque phaenomena hac forma prodeuntia originem trahunt.

Aliquot jam ante diebus apud nonnullas malum praenuntiatur doloribus capitis pervehementibus, hemi-crania et clavo. Quae phaenomena mihi videntur activitatis adauctae in organa pelvis conversae, per consensum elicitae. Menstruationis vel prodromi vel comites



vel sequelae dolores oboriuntur tendentes aut secantes, ex intervallo recurrentes, iis, quos in partu mulieres perpetiuntur, haud dissimiles, scilicet in utero, in regione sacrali ligamentorumque uteri latorum et ovariis. Interdum uterus multis cum doloribus ac sensu, quasi aliquid calidi per vaginam vi detrahatur, in pelvim, ut ita dicam, detruditur. In aliis fit contrarium, uterus enim ligamentis sursum trahi videtur.

Uterus saepe maxime sensibilis et modo extentus modo vice mutata spasmodice contractus. Spasmo latius diffuso aut affectione per consensum facta, nisus prodignitur spasmodicus in vesicam urinariam et intestinum rectum, item colica. In hoc quoque casu ventriculus et caput inprimis afficiuntur, unde cardialgia cum suis phaenomenis et clavus. Neque magis organa pectoris restant immunia et intacta. Partim spasmis transeuntibus topicis, partim sine his convulsiones universales prorumpunt, affectiones vere hystericae, epilepticae et catalepticae. Creberrime has animi deliquia comitantur. Exploratione instituta, uterus nonnunquam reperitur inflatus durus et persensibilis. Molestiae modo nominatae praesertim in periodo prodromorum menstruationis occurrunt et simulac spasmus per se ipsum coeperit confici, symptomatibus remissis, adparet menstruatio. Quae dum est, medio in fluxu, phaenomena desistere solent; attamen etiam post menstruationem fluere cessantem per aliquod tempus obtinent, immo crescunt, quod potissimum menstruationis rationi ad sanguinis quantitatem sine dubio



tribuendum est. Plerumque menstruatio parca est. Hoc lucet ex eo, quod individuorum productivitas ex hac morbi forma laborantium saepenumero offenditur diminuta, quo scilicet casu sanguis parcius emissus salutaris iis accessarius est; interdum forsitan etiam tensio spasmodica in vasis uterinis diutius perseverans ejus rei adjutricem esse praestat. Nonnunquam tamen vice versa menstruatio nimia existit. Quemadmodum status spasmodicus crebro conjungitur cum inflammatorio in genitalibus, ita contra ea cum sensibilitate adaucta saepius consociatur status inflammatorius; sensibilitas enim et irritabilitas nimis arcte invicem sese attingunt, quam ut non invicem sese provocent. Praeterea id praecipue respiciendum est, apud individua sensibilia, inter quae haec forma reperitur frequentissima, genitalium sensibilitatem interum mire augeri humorumque confluxum maxime amplificatum, quin etiam spasmum in genitalibus ipsum circulatione sanguinis impedita, multum contribuere ad complicationem hanc procreandam.

Malo obnoxia sunt individua constitutionis tenerae, gracilis, instructa insuper musculorum fibris energia minori, colore cutis albo. Porro ad hoc incommodum propensiores sunt personae, quae nimis mature in matrimonium ducebantur, aut coelibes, denique quae scrophulis glandularum mesentericarum et vermibus intestinorum laborant. Causae occasionales in summa hae fere sunt, quae organismum debilitent et cum sensibilitatem



ejus in universum, tum praesertim genitalium augeant sed non minus et hae, quae vim quamcunque irritantem in systema nervorum exserant et in activitatem abnormem determinant.

## VI. Vitia uteri organica.

Huc pertinent:

### 1. Rigiditas uteri.

Parenchyma uteri aequo firmitus et durius aut cuti uteri interna solidior quam fas, vasorum fines vel minus laxi vel turgidi. Genitalia cetera si ad gradum perfectum exulta sunt, gaudentque sensibilitate justa, organismo vi productiva sufficiente praedito, sanguis periodicè menstrua ad genitalia decurret. Cui affluxuro quoniam obveniunt obstacula, sensibilitatisque in genitalibus levamen ad tempus congruum et opportunum minime consequitur, idcirco in genitalibus sensibilitas congeratur irritatioque eo magis in nervis progignatur necesse est. Quare praeter dolores in genitalibus vehementissimos qui partim magis indolis spasmodicae partim inflammationis sunt, convulsiones et spasmos exoriri cernimus tum locales tum universales, affectiones epilepticas congestiones ad alias partes cum harum sequelis. Dolores per totam periodum perstant, menstruatio aut parca est aut suppressa. Verum solis ex his phaenomenis causas ipsam non perspicimus, quamobrem complura alia in auxi-



um vocare debemus. Hoc vitium vertitur in utero non  
l perfectionem rectam usque exulto, quare hunc sta-  
m conspicimus:

a) Saepius in periodo evolutionis, in menstruatione  
ut prima aut secunda; nam menstruatio non raro  
profluere incipit, priusquam uterus perfecte formatus  
t; quod etiam si non ita sese habeat, vasa interdum  
men solidiora sunt, nec facile cedunt. Statu rigido  
tem postea longius in dies perducto, molestiae sem-  
per adparent.

b) Apud virgines aetate provectiones uteri paren-  
chyma facilius solidum fit et durescit. Periodus decre-  
ditatis non minus hac de causa huic morbo crebro ori-  
nem dare solet.

c) Fibrae totius corporis si rigidae sunt, uteri quo-  
que ita plerumque comparatas esse recte colligere pos-  
sumus.

d) Mulieres sic dictae semimares rigiditati uteri  
magis expositae sunt, quia systema uterinum in iis  
madum exultum non assequitur, corpusque aliquanto  
t firmitus.

e) Feminis ejusmodi gravescentibus et graviditatem  
rum et partum multi dolores concomitari, partusque  
haecipue periodi secundae longius durare solent. Quae  
mulieres facillime tum abortum patiuntur, quando uterus  
tis extendi se non sinit.



f) Exploratione instituta interna cervix uteri invenitur non raro durissima.

g) Desunt causae aliae menstruationis dolorificae.

h) Ex juvantibus et nocentibus denique haec rerum conditio concluditur.

## 2. Scirrhus et carcinoma uteri.

In uteri ore saepe tumor formatur dolorificus, qui obcallescit sensim sensimque. Cujus signa menstruatione progrediente in conditionem in dies deteriorem vertuntur. Fluxus menstruus sub initio scirrhi satis bene procedens cum doloribus tamen in utero et pelvi adauctis, dysphoriaque majori conjunctus est. Aegrota sensum adauctum praesertim ponderis cujusdam et quasi nisum ad partum in utero percipit.

Scirrhus in carcinoma transgresso dolores augescunt diutiusque perseverant. Aut pungentes sunt aut urentes et punctiones per totam pelvim raptim demittunt. Ante menstruationis adventum existunt majores, et plerumque sanguine profundi coepto remittunt. Menstruatio simul inordinata, tum nimia tum parca. Fluidum ichorosum atque valde foetidum emanat, viribusque sensim sensimque debilitatis, mors tandem dolores vehementissimos finit.

Uteri indurationes benignae et cicatrices menstruationem multo mitiorem reddunt. Cognoscendae sunt partim ex investigatione, partim e causis antecedentibus.



### 3. Steatoma, Sarcoma, Osteotoma uteri, Lithometra, Polypodes.

Hae quidem uteri desorganisationes sicuti vulgo non symptomatibus inflammatoriis oriuntur, non semper comitatae sunt, sed cognoscendae et sensu aegrotarum solo et exploratione obstetricia sive externa sive interna. Aegrotata sensu affecta est nisus, plenitudinis, gravitatis in pelvi, dolorum pervagantium ad extremitates inferiores, organa urinaria, intestinum rectum. Utero valde immescente, excretiones alvi et vesicae urinariae prohibentur, digestio fit imperfecta, dein hydrops ascites atque pedum oedema sequuntur. Functiones quoque systematis uterini sunt perversae, menstruatio aut nimia frequentior aut rarior et parcior videtur, moliminibus menstruationis maximis. Saepius sterilitas inde sequitur, et conceptione facta facillime abortus procreatur.

Abitus sanguinis menstrui impeditus ob uterum, vaginam et labia vel concreta, vel membrana quadam occlusa.

Haec vitia organica plurimum quidem sunt congenita, tamen et postea demum e variis harum partium morbis contrahi possunt. Sanguis quidem inter ea secernitur, foras pro emanare non potest, sed vel in vagina vel in utero vel



in utrisque accumulatus, conditionem variam ibi assumit. Uteri nonnunquam ambitus ad istum mirifice crescit, ut graviditatem suspicari possis, quo perducimur eo facilius quoniam et mammae in eum immutantur modum ut in in graviditate ipsa. Quo cum malo plerumque etiam extra tempus menstruum molestiae eximiae conjunctae sunt rarius tantum omnino absunt, sed vel minores vel majores locum habere solent. Dolores oboriuntur spasmodici urgentes, iis ex partu similes, in genitalibus gravitatis maxima et lassitudo in extremitatibus inferioribus, molestiae in mingendo et alvo ejicienda, item anxietas, vertigo, dolor capitis atque omnino valetudo infirma. Menstruatione intercedente, tumor et molestiae ceterae augescunt: accedunt colica menstrualis, affectiones in universum spasmodicae, angor maximus, vomitus, congestiones ad organa alia, vertigo, immo animi deliquia et affectiones apoplecticae. Diebus quidem aliquot praeterlapsis et tumor et phaenomena alia rursus decrescunt periodo autem subsequente cum acerbitate eo majori redeunt. Exploratione instituta hoc vitium facillime detegitur, nisi forte (quod rarius usu evenire solet) orificium uteri externum apertum sit, collum autem crescendo coaluerit.

## VII. Dislocationes uteri.

In his multum abest, ut menstruatio dolorifica semper adsit; quamvis enim neutiquam in animo sit negare circuitu sanguinis cohibito, ab illis simul hanc posse pro-



reari; attamen aut statibus inflammatoriis aut spasmodicis aut etiam aliis, qui dislocationes consecuti evolvantur, plurimum attribui debere censeo. Diagnosi ibi eadem quae dislocationum est.

Praeter status relatos sunt certe et alii nonnulli, qui causa menstruationis dolorificae fiunt, quorum tamen summos et primarios jam supra a me enumeratos esse existimo. His itaque modo me contineam.

### PROGNOSIS.

Haec sese accommodat

1) ad causas, id respiciens, num removeri istae possint. In universum tum existit melior, cum ex causis dynamicis originem trahit; interdum vero et tunc morbus vel difficillime vel omnino non sanatur.

2) Ad acerbitatem phaenomenorum et periculum constitutionemque individui.

3) Ad tempus, quo dysmenorrhoea adparet. Nam hae menstruationi primae intercedit, sua sponte saepissime tollitur. Hoc malum crebro cum per matrimonium tum per graviditatem susceptam sanatur, quanquam verum est, individua hoc incommodo implicita et concipere



difficillime et conceptione effecta, facile pati abortum. Dysmenorrhoea interveniente sub periodum decrepitudinis saepenumero status inflammatorius aut scirrhus in causam est; e quibus tum prognosis repetenda.

4) Ad rationem quantitatis et qualitatis sanguinis emissi. Quo menstruatio magis discrepat in his a norma sua solita, eo pejus praesagium.

---

### CURA.

---

Dividitur a) in curam morbi ipsius. Quae fit periodo durante prodromorum et menstruatione praesentem.

b) In causas menstruationis dolorificae removendas. Quarum cura intervallo duarum periodorum menstruarum plerumque interponitur, ac nonnullis tantum casibus tempore menstruo ipso peragenda. Curatio morbi ipsius finem habet dolores et molestias ceteras aut avertendi aut saltem mitigandi. Curam vero, prout vel e systemate vasorum vel nervorum nascatur, nobis subeundam esse diversam luculenter perspicis. Pariter quoque momentum causalis in morbo curando maxima habenda est ratio quoniam casibus singulis copia nobis datur id ipsum simul removendi, quo facto rectissime finem exoptatum.



sequi possumus. Ibi nimirum cura symptomata con-  
 nit cum cura radicali.

Curationem pro statibus diversis nunc percurram.  
 Primo tractandum de ea forma, cui status aut plethoricus  
 ut inflammatorius fundamento est. Quem statum utrumque  
 amplector propterea, quod in curatione alter cum altero  
 mis conveniat, quam ut inter eos discrimen facerem.  
 Methodus ibi in universum indicata est debilitans, cujus  
 men gradus modificandus. Si morbus afficit individua  
 ethorica et robusta, febrisque interest vasorum con-  
 icua, colica menstrualis eximia, metritis incipiens; si  
 porro menstruatio aut nulla procedit aut modo parca,  
 i pro tempore et habitu missiones sanguinis tum uni-  
 versales ex pedibus, tum locales, haeque praesertim hi-  
 dinum ope instituendae, quae hirudines maximam uti-  
 atem afferre solent ibique etiam inprimis idoneae sunt,  
 nae adhibeantur, ubi affectiones existunt mitiores. In  
 um interdum pro habitu diverso proponamus sales anti-  
 phlogisticos, nitrum, magnesiam et kali sulphuricum, tart.  
 rtarisat., depuratum, modo solum et magis qua remedium  
 antiphlogisticum, modo obstructione praesente, remedium  
 xans, cui libenter pulpam tamarindorum aut mannam  
 ldimus. Deinde acida vegetabilia, ac praecipue acidum  
 rtaricum vel citricum. Sales praebemus plerumque una  
 um oleosis, mucilaginosi vel emulsionibus; aut has  
 iam solas, quoniam ob vim suam relaxantem imminuunt



irritationem inflammatoriam, doloremque et spasmos in organis uropoeticis, genitalibus leniunt.

Ad remedia externe adhibenda pertinent balnea tepida et tota et dimidia, cataplasmata calida aut sicca aut humida; deinde clysmata, eaque pro habitu diverso modo refrigerantia et evacuantia, modo irritationem mitigantia ex mucilaginosis simul cum oleo lini, ol. olivarum et similibus parata; denique injectiones ex oleosis et mucilaginosis, cicutae, hyoscyami etc. eo potissimum casu quo cervix uteri maxime affecta est.

Quamdiu status inflammatorius admodum praevalens tamdiu diaeta iis, quae modo diximus, adaequetur necesse est. Aptae autem alimenta vegetabilia, mucosa facile concoquenda, pro potu aliquid acidi. Irritamenta insuper omnia ab aegrotis prohibeantur, tegumenta quoque frigida sint oportet.

Statu vero inflammatorio maxima ex parte amobili cum tantum magis spasmodicus quidam intersit, intermedium applicamus, praeter supra nominata, remedia oleosa mucilaginosa, extr. hyosc., remedia acid. hydrocyanici continentia, digitalem et cum praecautione quadam etiam opium. Cum refrigeratio causa fuerit, tribuamus diluentia, mitiora, flor. chamomill., sambuci, antimonialium spiritum Mindereri, pulv. Doweri. Mutamus eodem tempore methodum refrigerantem, diaetamque magis diluentem et phoreticam adhibemus.

Si spasmus et sensibilitas adaucta causa existit



ysmenorrhoeae, phaenomenorum acerbitas et periculum naturaque causarum occasionalium in remediis eligendis gradu applicationis nos ducere debent. Praeterea systematis vasorum status respiciendus est, ne ei activitate majore forsitan praedito, opio et remediis huic similibus plus damni quam emolumenti afferamus. In remediis irritantibus sunt flores chamomill., Kali sulfuricum cum extr. chamomill., radix valer., spiritus tri dulcis, liquor anodynus Hoffm., castoreum, aut in substantia aut forma tincturae. Asa foetida, liquor C. S., aut sola aut cum opio conjuncta, pulv. Dow., opium, moschus.

Si refrigeratio una in causa est, praebemus partim remedia ejusmodi, quae, uti opium, transpirationem adjuvant; partim his adjicimus diaphoretica. Sanguine menstruo profundi coepto et nimis copioso, quando aetotae vires simul exhaustae sunt, methodus nobis adhibenda est contra menstruationem nimiam indicata.

Ad remedia externa et hic pertinent prae caeteris linnea tepida, infecta etiam herbis antispasmodicis, vaporaria et pediluvia; cataplasmata super regionem hypogastricam, parata e speciebus emollientibus, flor. chamom., herb. menth., herb. hyoscyam., panni lanei tenuiores calefacti, infrictiones oleorum pinguium, unguentorum opiorum, ol. hyosc. et opii, infrictiones irritantes volatiles; frictio lenis sola manu calefacta; clysmata ex infus. cham., valer. cum oleosis, mucilaginosi, praecipue cum asa foe-



tida vel opio conjuncta. Alvo adstricta, antea clysmata laxans admovendum oleo Ricini; injectiones in vaginam e cham., valer., hyosc., genitalium suffitiones, derivationes eaeque praesertim ad mammas.

Alimenta sint facilia concoctu, attamen animalia et plus nutrientia, potio mucosa. Regimen magis diaphoreticum sit oportet, quocirca praestat aegrotam in lecto remanere.

In rigiditate uteri commemoranda jam supra vidimus, phaenomena tum magis affectionum systematis vasorum, tum nervorum indicia prae se ferre, plerumque tamen systema utrumque eodem tempore affectum. Quamobrem et modum curandi saepe duplicem esse oportet.

Primo ac praecipue, ubi fluxus menstruus aut promissus non procedit aut parcissimus est, phaenomena periculosa sanguinis missione, hirudinibus et methodo ceteris antiphlogistica avertere studemus; tum remedia acidum hydrocyanicum continentia aut his similia applicamus, ut impetum systematis nervorum oppugnemus. E remediis extrinsecus adhibendis tunc balneis tepentibus, inprimis saponariis utimur. Nec minus in scirrho hirudines saepe penumero admovere, nitrumque et similia praebere debemus, eaque minus ob dysmenorrhoeam una praesentem quam ut inclinationem ad scirrhum ad augendum curam congestionibus ad uterum in universum conjunctam coërcimus, scirrhumque cohibeamus, quominus in carcinom



anseat. Contra dolores ipsos applicamus opium, belladonnam, hyoscyamum, praecipue aquam lauroceasi, externe injectiones e remediis similibus praeparatas.

Adversus atresiam uteri et vaginae pro habitu et tempore adhibemus methodum vel antiphlogisticam vel mitigantem, impedimentumque mechanicum levamus artis chirurgicae legibus convenienter.

Cum polypodes, dislocationes uteri etc. causae dysmenorrhoeae fuerint, phaenomena praesentia in cuncto duces sequi debemus.



## V I T A.

---

Natus sum ego, Carolus Fridericus Adolphus Schwieger, die XXI. mensis Augusti anni MDCCCXVIII Postampii, patre Joanne, praematura morte, pro dolor! erepto, matre Julia e gente Polentz, qua adhuc viva intime gaudeo. Confessionis addictus sum evangelicae. Educatus sum in orphanotropeo Oranienburgensi. Annos XV natus, Postampium me contulit ibique gymnasium frequentavi per sex annos, quod tunc clarissimo directore Riegler florebat et etiam nunc floret. Testimonio maturitatis instructus, anni MDCCCXLI mense Majo civibus reg. Academiae medico-chirurgicae militaris adscriptus, tribus annis post inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum et per quadriennium virorum illustrissimorum et celeberrimorum hisce interfui lectionibus: Cel. Beneke de logic



psychologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Link de botanice, de historia naturali; Ill. Hecker de encyclopaedia medica, pathologia generali, de medicinae historia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, anatomia sensuum organorum; Ill. Mueller de anatomia et universa et pathologica, de physiologia; Cel. Link de semiotice et therapia generali; Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Horn de morbis psychicis syphiliticis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Barez de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite immovendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia; ejusdem et Cel. Froriep de chirurgia.

In arte cadavera rite secandi duces mihi fuere viri Mueller et Schlemm. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, medicamentosis interfui virorum Ill. et Cel. Dieffenbach, Kluge, Schoenlein, Juengken, Wolff, Barez, Barez.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas sum maximas ago semperque habebo gratias.



Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico  
nec non examine riguroso coram Gratoso Medicorum  
Ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesis  
busque publice defensis, summi in medicina et chirur  
gia honores in me conferantur.

---



## T H E S E S.

---

Morbi syphilitici sine mercurio sanari non possunt.

Hydrops non est morbus, sed morbi symptoma.

Doloris sedes non semper sedes morbi.

Libri medici, quos dicunt populares, plus nocent  
quam prosunt.

---



THE END

It is a great pleasure to see this book  
in the hands of the public. I hope  
it will be found useful and interesting.  
I am, Sir, very respectfully,  
Your obedient servant,  
J. H. [Signature]